

Joachim Stockmann Georg Gesenius

## **Medica Disputatio De Arthritide**

Rostochii: Kilius, 1651


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756348692>


Druck Freier  Zugang





K. H. 2 (161.)





MEDICA DISPUTATIO  
DE  
ARTHRITIDE,

*Quam*

D. O. M. B. A.

In Inclyta Rostochiensis Academia,

*Consensu Ampliss: Facultatis Medicae,*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI EXCELL: ET EXPERIENTISSIMI*

DN. JOACHIMI STOCKMANNI,

Phil. & Med. D. & Professoris Ordini-

narij, Reip. Rostoch. patriæ Physici, Præ-  
ceptoris ac hospitis venerandi,


*publicè respondendo subitur*

In Auditorio Majori

GEORGIUS GESENIUS, Wism.

Autor.

*Die 12 Julij.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LI.

MEDICA DISSERTATIO  
DE  
ARTHRITIDE

D. O. B. A. VIRO


*Magnifico, Nobilissimo & Amplissimo*  
**DNO. MARTINO Lantken /**  
Potentiss. Regis Daniæ, ut & Sere.  
niss, Electoris Saxonæ Consiliario  
intimo.

*Domino meo fautori & promotori omni  
observantia cultu prosequendo, Me-  
dicum hoc exercitium submisit conse-  
crat & offert*

Georg: Gesenius, Wism,  
A. & R.

ROSTOCK  
MIBOLN KILM  
A. N. M. D. C. L. I.

PROÆMIUM.



Nimalia, præsertim perfectiora, & inter illa hominem, voluntariè multis modis corpus corporuq; membra movere quotidie videmus, & admiramur, si quando sua ludicra exhibent, piscibus utcuq; agiliores circulatores, vel pedibus choreas plaudunt saltatores, interea dum fractis digitis ita artificiose fiduculas admordent Citharadi, ut ad nutum & rythmum resonent.

Quam pulchre autem & operosè perficiatur voluntarius motus, tum alia requisita, tum organorum ostendit varietas. Etenim ad localem vulgo notissimum motum, sive amicum prosequamur, sive inimicum fugiamus objectum, præter objectum & movendi, sive prosequendi & fugiendi facultatem, insuper concurrunt & cooperantur appetitus & voluntas, nervi & motorij spiritus, muscoli & articulata ossa; ita ut objectum suscitet appetitum, appetitus tanquam auriga concitet motum, motum moderetur voluntas, Et in toto negotio, spiritus motorios qui deferunt, nervi sint quasi habena, muscoli sint equi, & ossium articuli instar rotarum sint. Hinc variis de causis motum & multifariam ledi posse facile colligitur. Et quotidiana docet experientia, modo imminui in stupore, modo aboleri in paralyti, modo depravari in Epilepsia corporis motum, eaq; incommoda non minus quam bruta & sapius experiri hominem, licet τὸ πληγστῆτος τῆς φύσεως τῆς ψυχῆς πασιμ laudetur, ac si in eo conformando omnes suas vires consumere seq; ipsam vincere conata sit prodiga non minus, quam audax natura. Caterum, inter alios voluntarium motum impediētes morbos molestissima est, quæ rotas quasi cur-



qui cohibet Arthritis, idèd, quod atrocissimos insuper secum fe-  
rat dolores. De hoc ipso affectu, quia aliquot Theses ad publicam  
veritatis inquisitionem proponere animus est

Σὺν τῷ Θεῷ.

THESIS sit I.

De Etymo  
& Synony-  
mia voca-  
buli.

**Q**Uam variæ sint morborum denomina-  
tiones, & quod alij denominentur 1. à parte  
affecta, ut pleuritis &c. 2. Symptomate, ut pa-  
ralysis. 3. ab utroq; ut Cephalalgia. 4. à causa,  
ut melancholia. 5. Similitudine, ut cancer &c. Ea de re  
notabilis locus est apud Galenum l. 2. meth. med. c. 2.

ARTHRITIS, qui sporadicus ferè semper, ali-  
quando Endemius, raro Epidemius, sæpe hæreditarius  
& Chronicus affectus est. 1. Græca voce ἀρθρὸν τῆ ἀρθρῶ  
subjecto sive affecta parte denominatur, & quidem τὸ ἀρ-  
θρον articulus, συμβολὴ sive σύνθεσις, est compages ossium  
ad motum comparata, qualis maxime conspicua in ἀρθρῶ-  
θρώσει ejusq; speciebus ἐναρθρώσει, δέθρωδια & γυγγλίμω. Et  
quidem hoc loco per τὸ ἀρθρὸν non tam ipsi articuli in-  
telliguntur, quam quæ articulata ossa connectunt & am-  
biunt sensu præditæ partes, ut sunt membranæ & mem-  
branosa ligamenta, musculorum extremitates sive ten-  
dines, & hisce partibus inserti nervi. 2. Latinis eodem  
modo à loco affecto Articularis dolor & morbus articu-  
laris dicitur. 3. Barbari qui dicuntur medici, guttam  
vocant, quasi guttatim hic fiat humorum affluxus, de  
qua tanquam vere barbara & minus recta appellatione  
vid. Senn. Quæst. 1. 4. Germanis appellatur das Zips  
perlein/Gliederwehe/Sicht Petreæ in disputat :

De πλυ-  
σμία L

II.

Sumitur vocabulum arthritidis vellatè, & quem-  
vis

vis cujusvis articuli vel articulorum dolorem ex qua<sup>ομωνυ-</sup>  
 cunq; causa ortum, v. g. ex casu, luxatione, intemperie,<sup>μία.</sup>  
 flatu; vel strictè sumitur & illum tantum dolorem de-  
 notat, qui ex humorum affluxu in articulis periodicè  
 suboritur; Et sic iterum communi nomine Arthri-  
 tis appellatur quorumvis articulorum vel plurium  
 simul articulorum dolor, & quatuor tantum sunt, præ-  
 ter Omoplasticum interscapulei dolorem, specia-  
 liores usu receptæ, itidemq; à diversis partibus de-  
 sumptæ denominationes, *πὸδάγρα*, *χειράγρα*, *γονάγρα* &  
*ἰχιάς*, quasi dicas manuum, coxendicum, genuum, pedum  
 captura, etenim ἡ *ἄγρα* græcè capturam significat & ven-  
 tione captam prædam. Sæpius vero podagra non tam  
 pro ipsa pedum captura, quam pro dolore captos pedes  
 detinente sumitur; Atq; ita in Tragopodagra Luciani *π-*  
*δάγρα*, (quod nomen ad omnes etiam arthritidis species  
 vulgo sæpius extenditur) *πλυσιέναιτ* & dicitur, Cocyti  
 filia, quam in latibus tenebrosissimis Megeira furia ute-  
 ro edidit, uberibusq; enutrivit Alecto, amarulentum in-  
 fanti lac instillans.

Definitio.

### III.

Quomodo morbofi nostri corporis affectus vel ut  
 morbi, vel ut Symptomata, considerari & definiri pos-  
 sint, E. G. apoplexia, vid. apud Duncan. Liddel. l. 3. de  
 morb. causis c. 11. p. 200.

ARTHRITIS ut Symptoma definitur, quod sit  
 dolor articulorum, qui per intervalla, modo longiora,  
 modo breviora, recurrit, magnoq; cruciatu, ex soluta  
 potissimum unitate, hos & illos, plures, pauciores arti-  
 culos affligit.

### IV.

Causa proxima hujus Symptomatis morbus est. &  
 quidem præter intemperiem soluta unitas, non ex con-

A 3

gestio.

gestione, sed ex humorum affluxu genita, sensiles articu-  
 lorum partes distendens, divellens, rodens, pungens, &  
 quocunq; alio, etiam occulto modo, ita ἀθρόως lædens, ut  
 tristis inde exoriatur sensatio sive dolor; Dolor enim  
 mentis affectus est teste Hipp. l. 2. Aph. 6. ὀκῶσαι πνεύοντες  
 π τῶ σώματι, π πλὴ τῶν πόνων ἐκ αἰσθάνοντι, τῆ τῶσιν ἢ  
 γνώμη νοσῶσι.

V.

Causa

συννεκτική

Porro, Causa morbi proxima, qua posita ponitur &  
 qua sublata tollitur hic ipse affectus, est humor; maxi-  
 mam partem serofus, articulos per intervalla repentino  
 cum affluxu invadens, sensilesq; supra notatas circa ar-  
 ticulos partes, non tam intemperie afficiens, quam di-  
 stendens, divellens, rodens & pungens. Attamen sero-  
 fus hic non purus putus est aquosus humor, neq; vulgare  
 serum sanguinis, sed tartareo mordaciore sale impre-  
 gnatum, acerrimum quasi lixivium. Etenim in nostris  
 corporibus cum alios excrementitios humores, tum et-  
 iam limosam, falsam aliquam colluviem ex assumpto-  
 rum alimentorum, cum primâ, tum secundâ potissimum  
 coctione redundare chymiatrî perhibent. & prolixè asse-  
 rit *Sennertus in Tractatu de Arthritide*; Ubi monet, in  
 quovis tam cibo, quo utimur, quam potu, non secus atq;  
 in vino, mineralem salinæ indolis materiam inesse,  
 eamq; iteratis digestionibus, ab alimentario succo nisi  
 ritè segregetur, & quamprimum per alvum & urinarios  
 meatus excernatur, scorbuticarum in ventre lancinatio-  
 num, & aliorum in aliis partibus morborum causam fie-  
 ri, sæpiusculè una cum sanguinis sero in venas & arterias  
 clanculum surrepere, & , vel data occasione, vel etiam  
 ultro, providæ naturæ vi, ad extremas tanquam ignobi-  
 liores partes protrudi, non raro concitato simul tangui-  
 ne

ne & aliis humoribus, prout plethorica sunt aut cacochymica arthritidi obnoxia corpora.

V I.

Cæterum, cum in quovis humorum affluxu merito attendantur ipse humor qui fluit, terminus à quo, terminus ad quem, & viæ per quas fluit, eadem etiam hic prolixius tractari possent, sed de humore in Arthritide ad Articulos fluente, & ipsis articulis, tanquam termino ad quem, in præcedentibus quæ dicta sunt sufficiant; De termino à quo supra dictis addere placet sequentia. Arthritidis propriissime ita vocatæ ( quæ cum acerbissimo cruciatu per certa ut plurimum, sive menstrua, sive annua intervalla recurrit, & manus potissimum, pedes, genua & coxendicem infestat ) fontem & originem in internis visceribus esse, & ibi serosum illum acrem tartareum humorem ex alimentorum coctione, & depuratione redundantem, colligi, indeq; recta sæpius per venas & arterias ad articulos repente defluere,

V II.

Pituitosos sive aquosos minus acres humores, qui in cerebro coacervantur, vel eo transmittuntur, & inde, vel per vasa, vel intra cutem & carnem, ad cervicis, dorfi, vel alios etiam remotiores articulos, non æque atroci, cum dolore decumbunt, arthritidem quidem generare, sed minus proprie dictam, magis proprie dolorem defusionum cum Platero dicendam. Inspiciatur hac occasione *Caroli Pisonis selectiorum observationum & consiliorum liber singularis de præteritis hætenus morbis ab aqua seu serosa colluvie oris*: Ubi Theoremate quarto in præfatione rectè dicitur, caput esse castellum seu labrum aquosi humoris, & recensentur ab illuvie serosa oriundi morbi. 1. Capitis. 2. Thoracis. 3. ven-

tris inferioris, externi habitus. Neq; enim nos etiam à capite ad articulos & alias partes defluxiones fieri negamus.

### VIII.

Atq; ita de causa continente Arthritidis & *ρευματινῆς*, quis humor, unde & per quas vias ad articulos confluat, & vel atroces, vel minus atroces dolores excitet, diximus. Quia vero etiam articulorum imbecillitas passim & merito, præter jam dictum humorem tanquam causa propinqua additur. sciendum est, articulorum *aliam* esse communem imbecillitatem. Quod articuli communiter calore in quo robur partium consistit, debili sint præditi, cum, quod ex ossibus, ligamentis, tendinibus, cartilaginibus & nervis ex sanguibus partibus consistunt, quod à caloris fonte longius absint, frigori aliisque externis injuriis, unde debilitari possint, expositi sint. *Aliam* in hoc & illo subjecto peculiarem, eamq; vel congenitam vel asciticam. Et propter hanc qualemcunq; articulorum imbecillitatem fieri, ut humores eò potissimum protrudantur. Siquidem in humano corpore idem contingit quod in republ., & sicut ibi, præsertim quando status Aristocraticus degenerat in Oligarchicum, optimates opprimunt inferiores, illisque omnia onera & per pauca demandant commoda; Ita robustiores corporis partes si quid molestat, devolvunt ad debiliores & ignobiliores. Qua de re notabile est cap. 2. Michaëlis Majeri, cujus eligans libellus, sub titulo civitatis corporis humani à tyrannide Arthritica vindicata, extat. Addit Sennertus serosos hosce humores peculiarem habere ad articulos *πόσην*: Et Fernel: in articulis humores hosce facile subsistere ait, non item in vasis, quod articuli densi & compacti sint, vasorum meatus ampli & laxi.

IX. Sed

## IX.

Sed restat ut remotiores, *περὶ ἀπομακρυντικὰς* Arthritidis causas prosequamur, eas nempe, quas Medici evidentes *εὐεργατικὰ* & externas vocant. Harum aliæ necessariae sex non naturales res dictæ, ut sunt. 1. *Αἴρ.* 2. *cibus & potus.* 3. *Excretio corporis & retenta.* 4. *Somnus & vigilia.* 5. *motus & quies.* 6. *animi affectus.* Aliæ non necessariae & fortuitæ, ut ictus, casus ab alto, luxatio.

## X.

Hujusmodi causæ in hoc affectu vel 1. *materiam Arthritidi generanda suppeditare, eamq; in corpore accumulare possunt.* v. g. aër nimis frigidus & humidus, usus frequens crassorum, crudorum, tartareis excrementis abundantium alimentorū, ( præsertim si debilia sint concoctionis organa: ) crapula & ebrietas frequens ex vinis potissimū & cerevisiis potentioribus, Otium, & exercitij intermissio, vel motus intempestivus ac immoderatus, imprimis equitatio pedibus pendulis; Somnus superfluus, vigiliæ incommodæ, Evacuationum consuetarum defectus, metus, tristitia, & sollicitudo magna.

## XI.

Vel. 2. *Articulos seu juncturas artuum debilitant & relaxant* v. g. in tenera ætate Saltatoria & pugillatoria exercitia, luxuriosus veneris usus, nimia refrigeratio, itemq; balnea calida & laxantia, casus, percussio, contusio, luxatio, fractura &c.

## XII.

Vel. 3. *Humoris morbifici ad articulos fluxum concitant & promovent.* Huc pertinent, aëris nimium frigus, humores coercens, calor resolvens, agitans, meatusq; aperiens: Cibi acres, falsi, vinum potens, intemperies viscerum calida, labor, exercitium. Venus immoderata,

B

ira

ira vehemens, nimium gaudium, humorum tenuitas; fervor & acrimonia, vasorum apertio, rarefactio, ruptio, meatuum, per quos humores fluunt, nimia amplitudo.

*Nota. Inter enumeratas hasce & ad certas classes quomodo-  
docunq; relatas, evidentes causas, nonnullas inveniri, quæ non  
ita præcise ad unam classem pertineant, sed ad unam atq; alter-  
ram merito referantur, v. g. Venus.*

XIII.

*Signa.* Cum nullus curari possit affectus, nisi prius cognoscatur, vel ultro patefiat, vel si occultus est, certis inditiis & signis indagetur; Nos etiam de signis pauca monebimus, antequam de curatione dicamus.

XIV.

Sunt autem signa alia Diagnostica, alia prognostica; alia Anaminiistica v. g. si recorder parentes ægri Arthriticis doloribus fuisse obnoxios. Diagnostica vel partem affectam, vel morbi causam vel morbum imminentem, incipientem, præsentem arguunt, quæ quia vel per se liquent, vel ex superioribus facile colligi possunt, nos ad Sennertum curiosiorem lectorem remittimus, & ad prognostica signa transimus.

XV.

*σημείων-  
σημά.* In hoc affectu licet vires doloribus & vigilijs non leviter atterantur, tamen Arthritis per se lethalis non est, & experientia testatur, Arthriticos diu sæpe vivere, & senectutem canam attingere, siquidem materia, unde alij morbi periculosiores generari poterant, à partibus principalioribus ad articulos, minus nobiles partes, protruditur.

XVI.

Ex accidente vero Arthritis lethalis fieri potest, si nimirum periculosa inflammationes & febres accedant, ut non raro accidunt, præsertim, cum jam diuturnitate  
& ve-

& vehementia recurrentium paroxysmorum labefactatum directricis naturæ robur deficit, & materia vitiosa, non tota ad solos articulos, sed ad alias etiam partes, & nobiliora quandoq; viscera maximam partem libero impetu se se diffundit.

XVII.

Quamvis autem Arthritis lethalis morbus non sit, curatu tamen est difficilis, adeò, ut vulgo Medicorum approbrium dicatur, cujus rei quatuor causas recenset *Sennertus*, ut videre est in *tractatu de Arthritis*. Mihi quæ hac de re *Michael Majerus* habet, hic inserere placet, cujus verba mea facere potius volo, quam meis verbis podagricorum ἀσθένειαν & ingratitude[m] objurgare. Curatio, *inquit*, Podagræ, aut Chiragræ, adeò famosa hoc nostro tempore habetur, ut plerumq; desperationem tam Medici quam patientis secumferat, quasi malum curatu impossibile, & Medico immorigerum sit; idq; diversas ob causas. *Primo* quia plerumq; agyræ & circumforanei Empyrici, qui pro medicis habentur nulla methodo, doctrinâ, aut ratione instructi, hujus affectus curam promittunt, & dolose suscipiunt, eo solum, sine, ut ægrum pecunia emungant, suo plerumq; magno, nullo ægri commodo. *Secundò* Quia patientes, aliàs facile irritabiles, semel aut iterum sic ab Empyricis circumventi & decepti, nulli Medico, ne quidem rationali & experto, omniaq; auxilia cautissime adhibituro, fidem adhibent, omnes uno calopodio metientes, eademq; statera inique ponderantes. *Tercio* hoc præjudicio Medici dogmatici gravati eorundem affectuum curas fastidiunt, & floccipendunt, ne scilicet ab ægris, alioquin ad rem nimis attentis, & Euclyonibus pro cura, licet diligentissima sit, & sæpius satis felix, nil ob-



ferre benefactori Medico solitis, malam gratiam reportent, & cum Empyricis idem nomen obtineant. *Quarto*, Impedimentum hujus mali curationis non minimum est, quod podagra Veneris & Bacchi filia dicitur, à quibus tanquam parentibus nutritur, fovetur & amatur, adeo, ut vix ullo artificio storgæ illorum mutua obliterari, deleri, aut tolli possint. Hinc illæ Podagricorum desperatorum desperatæ voces mille sæpe numero auditæ: *Faciam quid labor, & patiar quod debeo.* Contra quæ quasi naturalia parentum & filia Podagræ desideria non facile est remedium invenire præsentaneum, nisi ipsius morbi soror mors illud suppeditet, quæ est ultima linea rerum &c. *Hæc ille.* Ex Hipp: lib.2. prædicti sequentia prognostica habemus. Qui in senectute tophos & callos in articulis induratos habent, aut laboriose vitam tolerant, cum alvo sicca, ij sane omnes ( ut sentio ) humana arte sanari nequeunt. Contra vero Juvenis, cui nec dum circa articulos calli induruerunt, cuiq; victus ratio curæ est, ad laborem est impiger, alvumq; habet probe cedentem, is certè, prudentem nactus Medicum, sanus evadet. XVIII.

Speçant etiam ad prognostica signa Aphorismi Hipp. dudum in controversiam vocati, qui sparsim in illius Scriptis reperiuntur, nimirum. l. 6. Ap. 28: Eunuchi podagra non laborant. l. 6. 30. puer ante veneris usum podagra non laborat. l. 6. 29. mulier podagra non laborat nisi ei menstrua deficient. & 49. Quicunq; Podagrici morbi fiunt, ij sedata inflammatione in 40. diebus finiunt; modo Medicus in suo opere non aberraverit, & æger in omnibus obedierit.

*Chyatin.*

XIX.

Postquam hætenus omnia, quæ ad cognoscendam  
Arthri-

Arthritidem facere videbantur, collegimus & in unum  
comportavimus, reliquum est, ut hujus curandi ratio-  
nem etiam tradamus.

XX.

Ex præsuppositis jam fundamentis,

1. Quod Arthritis, sive dolor circa articulos, pedum in pri-  
mis, manuum, genuum & coxendicis, per certa ut plurimum in-  
tervalla, insigni cum cruciaturecurrens, causam proximam ha-  
beat acrem, tartareum Chymicis dictum humorem, ad membra-  
nosas & nervosas articularum partes qui jam influxit, se seq. illis  
insinuavit.

2. Et antecedentem habeat causam ejusdem generis hu-  
morem, sive tartaream ex prima & secunda assumptorum ali-  
mentorum coctione redundantem colluviem.

3. Quod tartarea hac colluvies, nisi debito modo segregetur,  
& per debitas vias expellatur, circa naturalia viscera coa-  
ceruetur, sero sanguinis porro misceatur. & cum vel utero, vel  
data occasione effervescit, in acerrimum Spiritum attenuata, ar-  
ticulos impetuose occupat.

4. Quod articularum imbecillitas ad recipiendum hunc  
affectum non parum faciat, liquido apparet quod scopi  
curationis præcipui duo sint. Primus, ut præsentem  
paroxysmo relevetur æger. Secundus ut præcavea-  
tur ne paroxysmus semel atq; iterum sedatus sæpius  
recurrat.

XXI.

Arthritidem præsentem curandi rationem quod  
attinet, Tria sunt quæ in paroxysmo Arthritico amo-  
verit cupit æger; dolor, tumor, & motus impedi-  
mentum.

XXII.

Cum vero hæc tria ab humoris affluxu orientur,  
omnis opera in his unice collocanda, ut collecti & tur-

gentis humoris affluxus inhibeat, & si quis illapsus est, tollatur, inhibito enim affluxu & sublato humore, qui jam influxit, cessat dolor, tumor evanescit, & motus partis redit. Humor influxus prohibetur, dum alio avertitur, & è corpore evacuatur, humor qui influxit aufertur, quando per discutientia specifica remedia consumitur. Quæ ut omnia rectè peragantur, Medicus duobus ad curandum præcipue comparatis instrumentis utitur, *pharmacia & Chirurgia*, Nec tamen exclusa *Dieta*.

XXIII.

Pharmacia ad exhauriendam materiam subministrat evacuantiæ eaq; vomitoria, purgantia, sudorifera, itemq; discutientia & repellentia topica.

XXIV.

Vomitio moderata & facilis, ut in præservatione, de qua infra dicitur, ita & hic, utilis est & saluberrima, præsertim assuetis; Noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit, omnem, quæ in ventriculi capacitate, in ejusve tunicis hæret illuviè inprimis expurgat, è præcordiorum membranis, & cavis Epatis ac lienis, & ex pancrea omnis generis supervacuos humores sinceros tollit, quos plerumq; nullum vehementissimum pharmacum in alvum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis viæ breves sunt & expeditæ; Contra vero vehemens difficilisq; vomitio gravissima, parit Symptomata; qua de re notabilis est ejusdem locus Fern. l. 3. Meth. med. c. 3.

XXV.

Vomitoria alij alia laudant, etiam mineralia, ut videre est passim apud Jatrochymicos, & in *Hemecologia Angeli Sala*; At tutius usurpantur vegetabilia.

lia v. g. *Asarum*, & inde composit. Fernel. *Diasarum*,  
*Gratiola*. Videatur Ternar: Bezoardicus A. S. p. 79. &  
Gesneri Epist. 24. l. 1. *Radices herba Kunigundis*, vid.  
Gesner. Epist. XI. l. 2. *Juli arboris Jugulandis*, *Sem. geni-*  
*sta* vid. Fernelius lib. 5. Meth. med. c. 13. & Method.  
Med, Heurn. & praxis Joël: p. 109.

XXVI.

Sicut vomitoria, ita etiam purgantia hic locum ha-  
bent; de quibus duo potissimum notanda. *Primum* ut  
temporis ratio habeatur, & sicut vomitoria, ita & illa  
maturimè vel imminente, ex certis indiciis, paroxysmo,  
vel in principio paroxysmi, inchoantibus jam primum  
doloribus, antequam humores penitus ad articulos de-  
cumbant, & vires adhuc constant, exhibenda, neq; diu-  
tius differenda esse: Etenim si jam ad ipsos articulos in-  
fluxerit totus humor, frustra instituitur evacuatio cor-  
poris, nec humor facile revocatur. *Alterum* est ut ido-  
neis medicamentis fiat purgatio & quidem per paulo  
fortiora: Leniora enim si sumantur, humores tantum  
commoventur, & non satis copiose evacuantur, unde  
postea major ad partem affectam fit confluxus. *Qui-*  
*bus* vero in specie, & in qua forma medicamenti purga-  
tio sit instituenda, non facile potest definiri, propter  
multiplicem ægrotantium & humorum peccantium va-  
rietatem. Licet enim proxima Arthritidis causa sit hu-  
mor serosus, tartareus, tamen & ipse in diversis corpori-  
b<sup>o</sup> diversimode constitut<sup>o</sup> est, & secū fert alios in corpo-  
re abundantes humores, ut supra innuim<sup>o</sup>. Medici igitur  
præsens est, cuilibet ægro in rē præsens medicamen-  
ta præscribere: Eaq; vel in forma liquida v. g. potionis,  
ex infuso, decocto: vel solida E. G. pulveris, pilularum,  
morsel-

morfellorum; vel media forma ut Boli, opiat, Gelatinæ.  
XXVII.

Notum alias est, tanquam peculiaria Arthritica  
Medicamenta passim commendari.

1. *Caryocostinum Bayeri*, cujus promiscuus usus merito  
in considerationem trahitur, tum quod dosis pulveris  $\mathfrak{z}\text{i}$   
vel  $\mathfrak{z}\text{i}\beta$  statuatur apud Sennertum: Et sic  $\mathfrak{z}\text{i}\beta$  recipiat  
dimidium calidiorum aromatum, & fortiorum purgan-  
tium alterum dimidium: Adeoq; *Hermodact.*  $22\frac{1}{2}$  gr. &  
*Diagrid.*  $22\frac{1}{2}$  gr.

2. *Pulvis antipodagricus Crollij* cuius  $\mathfrak{z}\text{i}$  recipit *diagrid.* gr. V.  
*Turpeth.* gr. V. *fol. Sen.* gr. V. *Cran.* gr. V. Saccharum sine ja-  
ctura omittipot erit.

3. *Extract.* conf. *Hamech*, *panchymagogum Crollij*, vel *Hold-*  
*gog: Andernaci* in forma pilulari.

XXVIII.

Corpore purgato, ad insensibilem transpirationem  
& levem sudorem disponendum est corpus, non qui-  
dem per calidiora medicamenta, qualia sunt *Theriaca*,  
*Mithridaticum*, cum hisce humores magis accenderentur,  
contingit enim in arthritidis invasione sæpius humo-  
rum ebullitio, eaq; non raro cum febre: sed mitiora &  
temperata, quale est *cornu Cervi vel ustum vel philosophicè*  
*calcinatum*, *veletiam Gelatina C. C.* in quolibet humore re-  
solubilis. v. g. in aq. *Cardui Bend.* vel speciali pro Arthri-  
ticis destillata.

XXIX.

Præmissis ijs omnibus, quæ sufficiunt ad influxu-  
ram & influentem materiam Arthritidis evacuandam  
& tollendam, commode ad Topica medicamenta acce-  
dimus, quæ dolorem arthriticum leniunt, & tumorem  
aufferunt.

XXX.

Et sane gravissima affectio in hoc morbo cum sit  
dolor,

dolor, qui ægri maxime molestus est, & vigilias facile accersit, merito etiam hujus (licet Symptoma sit, ad quæ non semper se se extendit curatio, cum, sublato morbo, instar umbræ dispareant) ratio à Medico est habenda, & quia sui lenitionem per anodyna indicat, quo nomine commendantur cataplasmata quæ parantur *ex lacte recente caprino, pane albo, vitellis ovorum, fol. Althea, malva, calidè impostis, itemq, ex semine malva, althea, Cydonior: psyllij,* laudatur etiam *castia fistularis cum aq. Solani.* Et Fernel. l. 5. Met. med. c. 27. scribit, Quod, cū Chiragræ aut podagræ initio ardor dolorq; articulos obsidet, ex usu sit, *aq. Ros. plant:, & Solani, vel flor. omnium dicta,* quibus aceti sextans aut quadrans affunditur. Usurpantur etiam olea, quæ tamen non promiscuè adhiberi debent (nisi discutientibus impregnata sint, ut est ol. anodynum Ang. Salæ. ex infusione quater vel quinques repetita, *Flor. Rosar., lilior. albor:, verbase:, Sambuci, Chamomil:* Quod si in hujus anodyni præparatione, hic pro communi oleo olivæ assumptis oleum lumbricorum, rectius feceris) obstruunt enim, ex communi opinione, quævis pinguis cutis poros, & sic humore intus detento, dolor augetur. Si non sufficiunt anodyna, Narcotica esse usurpanda quidam volunt, sed non diu in horum usu est persistendum, cum calido nativo & nervis sint inimica:

### XXXI

Topica porro, quæ ad prohibendam, vel tollendam ipsam causam diriguntur, sunt vel repellentia, vel discutientia. Repellentia topica Medicamenta non facile & sola sunt usurpanda, cum enim natura ipsa motum hunc instituat, & vitiosos illos humores e partibus internis ad externas & ignobiliores protrudat; Hic

C

motus

motus si impediatur, & humores ad partes principes repellantur, id cum vitæ periculo fieret, propter gravissima symptomata, quæ inde metuenda. Sed si repellentibus utendum, semper anodyna admiscenda, præmissis universalibus evacuationibus. Discutientia vero tumori applicantur, ubi fluxionis in petus præterijt. Quibus vero medicamentis humor ille serofus & tartareus, qui est causa morbi continens, extrahendus & discutendus, de ijs inter alios authores consulatur Sennert. in Tractatu de Arthritide. Inter innumera passim decantata arthritica, hujusmodi Topica non ultimum locum meretur, *Balsamus mitigans podagram*, primo hujus accessu, in mysterijs Medicis Mulleri descriptus, qui ex *Mastic. oliban. &c.* destillatur & pluma dolenti parti illinitur.

### XXXII.

Diximus jam de pharmaceuticis Medicamentis quæ humorem arthritidis causam evacuant; Nunc accedendum ad Chirurgica auxilia. Hic primum locum sibi facile vendicat phlebotomia, quæ non negligenda, si vires ferant, & sanguis in corpore abundet, qui facile simul commoveri & defluxum ad partem affectam augere, febriq; fomentum suppeditare poterit. Similis fere est ratio cucurbitularum quæ incipientibus doloribus parti sanæ cum scarificatione affigi possunt. Hirudines etiam aliquod commodum affere possunt. De venæsectione ad pollicem pedis vide quæ Sennertus habet.

### XXXIII.

Supra in Thesi XX, indicatum quod curationis scopi sint duo; *primus* ut præsens paroxysmus tollatur:

*Secundus*

*Secundus* ut præcaveatur ne paroxyſmus ſemel ſublatus facile redeat. De primo hæcenus dictum, Reſtat ut de ſecundo nonnulla breviter, quantum inſtituti ratio permittit addijciamus.

### XXXIV.

Ex præſuppoſitis jam iterum patet, extra paroxyſmum hæc tria fore neceſſaria.

1. Præcavere quantum fieri poteſt, ne aliqua materia colligatur, quæ deinceps articulos infeſtare poſſit.
2. Si perfectè præcaveri non poteſt quin aliqua talis materia colligatur, impedire quo viſ modo, ne majori copia cumuletur.
3. Articulos corroborare.

### XXXV.

*Quoad primum*, erit vitandus quiviſ intemperatus ær, & inprimis frigidus, qui tranſpirationem, & perenne vaporum efflavium retinet. In cibo eligendus erit panis purus, optimè fermentatus & coctus. Ex animalium carnibus ſumenda hædina, vitulina & avicularum, &c. piſcium uſus eſſe debet parcus, limoſam enim, tartaream mucilaginem præbent ut plurimum, & non ſolum tincæ, anguillæ, ſimiliſq; farina, ſed & ciprini Die Carpen/ de quorum noxiſ in Arthritide uſu notabilis eſt obſervatio Langij. Quod Ciprinorum uſu quidam, quoties voluerit, podagiam excitare potuerit, Olera, fructus & legumina communiter nocent, pingua etiã, inprimis frixa, quæ non ſolum malum nutrimentum præbent, ſed & alios cibos corrumpunt. Aromatum quoq; modicus debet eſſe uſus. In potu eligendo etiã cautione opus eſt, A vino Arthritici quantum fieri poteſt ſe abſtineant. Exempla recenſen-



tur apud Sennertum, non unius atq; alterius, sed plurimum, quibus abſtinentia vini præſentiſſimi remedij loco fuit præcavendis podagricis inſultibus.

XXXVI.

Somnum & vigilijs quod attinet, ſciendum, quod ſomnus non mox à cibo ineundus, neq; communiter ultra ſeptem vel octo horas extendendus fit.

XXXVII.

Corporis exercitia, quæ etiam medium ſervare debent, ante cibum ſuſcipiantur, & commodiſſimum eſt ijs, qui præſtare poſſunt interdum ante prandium ad ſudorem uſq; corpus movere, non quidem ſaltu vel curſu, quam veſtione & equitatione moderata, minime pendulis pedibus.

XXXVIII.

Porro Curandum ut alvus quotidie egeratur, & ne humores in primis vijs cumulentur, medicamenta, leniter alvum ſubducentia, ſunt uſurpanda, *uva præſertim & pruna laxativa* ex deſcriptione Quercetani. Sudores matutini utiliſſimi ſunt ad præcavendam Arthritidem, cum tollant è corpore ſeroſos humores: A venere nimia eſt abſtinendum, cum, ſicut Bacchus arthritidis pater, ita mater dicatur venus. Hiſce tandem qui ſubiſciuntur vitandi animi affectus immoderati, præſertim ira; lætitiæ indulgendum.

XXXIX.

Præter Diætæ rationem neceſſarium eſt, ne humores vitioſi generentur vel coacerventur, ut viſcera legitimo modo ſint conſtituta, neq; ulla in ijs inſignis ſit intemperies, præcipue primæ & ſecundæ coctionis deſtinatis.

XL. Quo-

## XL.

*Quoad secundum*, cum vix possibile sit, ut quis ita ad amissim perfectè constitutus sit, & ad eò accuratè præcepta observare possit; ne ulla excrementa in corpore colligantur, omnis repletio corporis, & in prima, in secunda & in tertia regione sedulo præcavenda, quod fieri potest, prout necessitas postulat, 1. Venæsectione, cucurbitulis & scarificatione, vel etiam fonticulis. 2. Purgatione per vomitum & alvum. Fit vero hæc purgatio commodissime tempore veris & autumnii paulo ante æquinoxium, quo aliàs humores moveri solent. Imo ter vel quater singulis annis purgationem instituire potest, qui diligentiam in præcavenda Arthritide adhibere velit. Quibus vero medicamentis istæ purgationes instituendæ sunt, jam supra dictum est.

## XLI.

Quin etiam omni tempore Antidota Antipodagrica sunt usurpanda, ut reliquiæ humorum, quæ post purgationem remansere, per ea absumentur, viscera confortentur, corpusq; una opera ad sudores matutinos disponatur, aut humores serosi insensibiliter discutiantur. De specificis antipodagricis medicamentis evolvendi sunt Medicorum libri practici. Præcipua vero, ex quibus talia componuntur, simplicia sunt *Chamæpithys*, in omnibus articulorum affectibus utilissima, unde à nonnullis *jua Arthritica* appellatur, item *Chamadrys*, *hypericon*, *Arist. lonz*, & *rot. Cent. minus Rapont. verum, gentiana meum, radix Arthemis*.

## XLII.

*Quoad Tertium*, Ad præcavendam Arthritidem deniq; etiam articuli veniunt corroborandi, & quidem, si ali-

si aliquid sit in articulis vel ex paroxyfmo relictum, vel ex vitiosa nutritione collectum, id absumendum balneis modice calefacientibus & siccantibus cum leni astringitione, v. g. ex *Beton*, *Salv. Chamapith.* *Rosar. fol. querc. lign. & bacc. Juniper. &c.* aliisque similibus, de quibus videantur practici. Nos illa, quæ allata sunt, pro instituti ratione, sufficere arbitramur.

## DEO SIT LAUS ET GLORIA.



**Q**uam pulchrè nostri moveantur corporis artus,  
Dum breviter monstras, removesq; obstacula motus,  
Quæ segnis manibus pedibusq; podagra facescit;  
Non segni GESENI animo, Musis odiosa

Otia sectaris; sed sicut ad optima natus,  
Instinctu Genij melioris ad optima tendis.

Sis maeste, ac maneat tantis conatibus opto

Maeste, & eris (toties quod sedula vota Parentum,

Et nostra, & Patrie quod sperant sedula vota)

Non vulgare decus Medicæ, sed rarius, artis,

Docuissimo Dn. Respondenti amico & Commensali meo  
dilectissimo, in honorem, & exhibitæ mihi disputationis applausum l. m. g. scripti

D. J. St. PRÆSES.

### Ad Dn. Respond.

**I**mmanis Dolor est, audito nomine cujus  
Protinus articuli, pesq; manusq; tremunt.

Causa mali quæ sit, quæ sit curatio, quæ sint,

Per quas humor atrox defluat ille, via,

Tu Gesene doces: fructum hunc, precor, inde reportes,

Occupet articulos ne dolor iste tuos,

Stephanus Schultzeus, Med. D. & PP. p. 2. Dec.

Quando

Quando Tartaream Paracelso dicere guttam  
Mens fuit Arbritin, congrua verba dedit:  
Verè Tartareos etenim dolor ille dolores  
Exaequat, Lachesi sapè sequente brevi.  
Cui cum tu monstres medicamina docte Georgi  
Naturam, causas signaq; discutiens:  
Rem facis egregiam, Musis & Apolline dignam;  
Gratam illis, morbus quos violentus agit.  
Perge: & quem cursum Musis & Apolline charus  
Capisti, eximiè continuare stude.  
Sic Patriæ pergratus eris, pergratus amicis,  
Et tandem votis saepe cupita feres.

ἐν Φημίαις ἐπέεσσιν. l. m. q; . s.

Johannes Bacmeisterus, Med. D.

IN felix hominum genus est, cui sæva dolorum  
morborumq; simul vis sine fine nocet:  
Mox hominem ARTHRITIS torquet; mox strin-  
git obuncos  
tarda PODAGRA pedes, dira CHIRAGRA manus;  
Jamq; furit GONAGRA, atq; ægros depascitur  
artus,  
sic variis subsunt corpora nostra malis!  
Hæc tibi sunt curæ, atq; horum cognoscere caus-  
G E S E N I curas, hæc fugienda doces. (sas  
Nescio quid voveam! de multis multa mereris,  
niteris, ut volites clara per ora virum.

Perge

Perge bono cepto medicorum volvere scripta,  
Sicq; brevi magnum nomen ab arte feres.

Quod Eximio Dno. Autori amico ac commensali meo  
fravissimo candidè gratulor.


Heinrich Rudolph Redeker,


**M**ens hominum varia est, trahit hos non una voluptas,  
Sunt qui divitiis inhiant, rutilantis & auris  
Affectant sitienter opes, virtute repulsâ.  
Multos delectat Mavortis castra subire,  
Hos juvat assiduâ mentes firmare palestra,  
Longinquis alij gaudent concernere in oris  
Insolitos hominum mores, ceu fortis Ulysses,  
Bactros, Dardanides, Siculos qui vidit & Indos.  
Sit sua laus istis, non te capit ista lubido  
GESENI, cultor Sophies, & floscule Phœbi,  
Indefessus opes studio fervente Galeni  
Sectaris, ne vos hominum qui corpora vexant  
Scrutaris, causas rerum, morbûmq; tot ortus,  
Corpora quò tandem releves pallentia morbis.  
Jamq; petis cathedram profectûs signa daturus.  
Sidere felici pergas, fecisse juvabit  
Hec quondam, & medicas didicisse fideliter artes,  
Cum post morborum clades & monstra fugata  
Præmia digna dabit Musarum præses Apollo.  
Instes ingenij quo te rapit inclytus ardor,  
Arte Machaonia patriæ quò commoda tandem  
Suppedites, Jove faciat rata vota voluntas.


Sic debiti honoris ergò Præstantissimo ac Doctissimo Dno.  
Respondenti fautori & contubernali suo hono-  
ratissimo gratulabunda mente applaudit

Heinricus à Daldorff/ Eq. Sax.

1700














the scale towards document

es, Fratresque inopes vel testantis he-  
m, in fin. C. de his quæ poen, nom, rel, quia hoc  
ctum, & alias probrosum.  
ula ab antiqua Prudentia exposita est  
, Marci, l. 8. pr. ff. de transact. Transactionem  
turis, Testamento vel alia ultima Vo-  
n aliter ratam habendam esse, quam si  
facta: & si Alimentarii conditio melior  
. 8. pr. & §. 6. ff. de Transact. ratio est fa-  
imentorum sc. futurorum) Conf. Gothof. ad  
Ultima Voluntas quæ legimum finem  
C. commun. de legat. Alimentarii, ne is mo-  
tentus, facile transfigat d. l. 8. pr. ff. de  
n, ad π. ff. Wes. n. 5. p. 210. b. De præteri-  
ransactio, quia alimenta esse desinunt,  
unde sustentare est, & manet purum  
o nihil impedit transfigere l. 8. C. de Trans-  
enim quis esurire & egere potest, non  
m. Perez. de Transact. n. ii. De aliis por-  
ide quam ex ultima voluntate debitis,  
o, l. 8. §. 2. ff. de transact. Sed quia hæc  
veniunt, verius est illa nec repudiari,  
nacto aut transactione l. 34 ff. de pact. Scip.  
o. f.  
em Juris & necessitudinis ratione, inva-  
tur renunciatio alimentorum. Gædd. ad  
licet Juramentum accesserit: secus se  
io fonte debitis alimentis.  
ens neget filium, idcircoque alere se non  
; vel filius neget parentem, in pen-  
l. 5. §. 8. de agn. lib. donec res expediatur  
per est certa l. 5. ff. de in jus voc. quia ple-  
rum-